Kowalewski Samuelis: Aureus ramus doctrinae medicae — (1658)

AVREVS RAMVS
DOCTRINÆ MEDICÆ

Florentiſſimo Iagelloniano Clariſſimorum DD. Medicinæ Doctorum & Profeſſorum Vireto.

INSERTVS,

Clariſsimus & Excellentiſsimus Dominus

D. M. HIACYNTHVS ŁOPACKI,

Philoſophiæ & Medicinæ Doctor Patauinus, Conſul Cracouiæ.

Dum Sub Feliciſſimis Auſpiciis

Magnifici, Clariſsimi & Excellentiſsimi Domini

D. M. FRANCISCI ROLINSKI,

Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris, ac eiusdem Facultatis Decani, Conſulis Cracouiæ, Almæ Vniuerſitatis Cracouienſis

RECTORIS

Longè Vigilantiſsimi.

In Lyceo Iagelloniano Pro Loco inter Clariſſimos & Excellentiſsimos DD. Medicinæ Doctores obtinendo; nodoſam de Epilepſia diſputaret Quæſtionem.

A

M. SAMVELE KOWALEWSKI

Philoſophiæ Doctore & Profeſsore

PRÆSENTATVS

(a. 1658.)

Typis Viduæ & Hæredum Franciſci Cæſarij, S. R. M. Typ.

10.

ET ad Te vt noſtræ Almæ Vniuerſitatis inſignem Doctorem & Profeſſorem; ita inclytæ huius Vrbis eximium Senatorem mea quoque pertinere videbatur oratio Clariſſime & Excellentiſſime Domine Doctor. Nam vt ab his artibus dictionis meæ ſumam initium, quibus Tu tenellam ætatem illam emolliuiſti, emollitam informaſti, informatam Virtutibus omnibus, ita perfectam & abſolutam reddidiſti: vt ad quæuis præclara Virtutum facinora, non modo educatus, ſed natus eſſe videaris; Nemoque tunc aderat qui Te Clariſſime & Excellentiſſime D. Doctor, Magnum Vniuerſitatis Noſtræ futurũ Doctorem & Profeſſorem, & Vrbis huius Senatorem, conſilio & authoritate grauem, virtute & eruditione conſpicuum, non affirmaret, extolleret, deprædicaret. Neque præconceptam de Te omnium opinionem feſelliſti, eamque veniens ad Academiam Cracouienſem ita confirmaſti & promouiſti: vt Virtutum Tuarum trophæa non ad exigui temporis prædicationem, ſed ad omnium ætatum memoriam ſint manſura ſempiternam. Non defuerunt Tibi ad hoc obtinendum eloquentiſſimorum Profeſſorum ſaluberrima conſilia & exempla, quibus Te informandum erudiendumque tradidiſti: quorum primus piè defunctus Iacobus Piotrouicki Collega Maior Tilicianus Profeſſor: Alter Nicolaus Sulikowski protunc Dialectices Profeſſor. Viri eloquentiſſimi, qui Te in eloquentia ita informarunt inſtruxerunt erudierunt; vt eorum genuinus pullus eſſe videaris; Laureisque Academicis dignus omnium vnanimi voce & conſenſu repertus fueris. Quid dicam de Tuis laboribus, poſtquam gradum ſecundæ Laureæ obtinuiſti, quos labores, curas non pertuliſti, quas difficultates non ſubijſti, vt non ſolùm multiplicem reconditiorum ſcientiarum peritiam Tibi comparare; verum etiam ſingulari eruditione Academiæ ornamento, & Patriæ auxilio eſſe poſſes. Age verò quibus gradibus ad ſublimiora Medicorum Vireta progrediebaris, qui vt præceptis inſtitutisque Galeni atque Hippocratis & initiari poſſis, adijſti remotas Italiæ oras. Atque in Florentiſſimo Patauino Lyceo Studiorum Medicorum poſitus amphitheatro, elegiſti Præceptorem longo vſu, longâq; in arte Medica probatũ, experientiâq; Clariſſimum & Excellentiſſimum D. Benedictum Syluaticum Patauinæ Academiæ ocellum, eius conſilio in omnibus nitebaris, atque ita laborioſus extitiſti: qui vt arcana medendi diſcere poſſes, ad ſolennem corporis humani anatomen à Clariſſimo Ioanne Weslingio inſtitutam interfuiſti, vt illam ſcientiam è Vita Defunctis diſceres; quam in viuis pro ſanitatis tutela, tam efficacibus medicamentis, quam oculatâ manu olim adhibere valeres. Iam verò poſtquam ad Lares Paternos redijſti, quæ tua cura, quod ſtudium, niſi prodeſſe omnibus, nocere verò nemini. Atque ita ornatus his Virtutibus factus es huius vrbis Senator, quam veluti Policleti ſtatuam ita firmam, reddidiſti, vt omnes ſæuientis fortunæ turbines contẽnere valeret. Paucis multa. Te prouidum, ita publici boni promouendi amatorem præſtitiſti, vt nihil iam p lus poſſit reperiri, quod à Te Academia, & Vrbs requirat. Quare conſcẽde iam Auguſtũ dignitatis Culmen, quod tã ob rei benè geſtæ ſummã peritiã; quã omnigenæ eruditionis, ac doctrinæ præſtantiã pridem promeruiſti: Conſcende eruditionis exedram, Tuis Virtutibus pridem debitam; inſertasq; amæniſſimo Medicorum Vireto refloreſce huic Vrbi & Orbi Sarmatico.

Ita vouet *Deuotiſſimus Cliens*

M. S. K. P. D.

Muſarum

MVſarum nitidum Calliope decus;
Doctis Muſa potens, cumque ſororibus,
Cornu dulciſono, dulcia flectere,
Iam concedite barbita.

O Phæbi Sociæ! vosque nouem Deæ,
Stirpis Delphiacæ Numina, tangite
Buxos atque lyras, nectareum melos
Pleno promite gutture:

Et neruos Clario, pectine ſtringite,
Seu Iagellonij per iuga verticis
Permeſi viridi fortè moramini
Vmbra currite, currite.

En ipſe Aonidum de tenero nepos
Vngui progenitus, celſa LOPACIVS
Scandit Lauriferis dignus honoribus,
Laudum tranſtra per eſſedum

Felix Craciadum Conſilij arbiter
Hunc tandem tacitis Phæbe moràbere
Dignari modulis! negliget aut chelys.
Suetum flectere pollicem.

Decernas meritis Calliope Viri,
Aut doti egregiæ debita portio
Quæ debet ſtatui! quid medica frui
Sit Lauru edoceas Dea?

Dic, non ſtate diu, Pieridum chori,
Inclinat ſolium Cynthius, & cui
Pindus deproperat ſubdere nobili
Multum è munere gloriæ

Tractetur Cytharis, & ſonitu Lyræ,
Tollatur titulis ductus ad æthera
Carpat laudis iter, quâ ſimilem Hercules
Famæ poſtulet aſſeclam

Tot certaminis exegit adoreas,
Poſſedit Medicæ pulpita gloriæ
Alcides operum verus & aureæ
Fultus dogmate Laureæ:

Sta-

Stabit Leucadio RAMVS in hortulo
Hic ille; ô clarij grande decus tholi?
Arctoo vigeas insite Syderi
(Vult Musæ hic Decor) annule?
Pergas eximio non minor Attalo,
Quem vectum resonat per Lechicas, per &
Vrbes Ausoniæ Rumor honorio,
Censu Palladis Hessicæ,
Virtutis specimen, fama scientiæ,
Assurgantque Tuis dotibus altiùs
Paduensis veteris dona Palæmonis
Quêis, vt Stella Polo mices.
Tantâ sorte magis digniùs emicat,
Quem Laurus Medici prætulit ingenî
Inter, quem Varijs consociat modis
Hérôes merito graues.
I passu celeri, conscius intimis,
Virtutum meritis, Hippocratis nepos
Et Celso similis, dogmata dum pia
Pandis, gemma Dioclea!
Nam nostî medicas, vt Podalyrius
Artes, Hippocratis dote Melampica,
Responsare malis, arte Galenica.
Gnarus toxica pellere.
Tu, quæ Doctor Arabs abdita dogmatum
Scripsit, (nec dubium sunt Tibi peruia)
Euoluis meritâ non sine gloria
Ec quis Te studiosior!
I cûi Numen adest, quem sapientia,
Quem virtus genij, quem labor entheus,
Musarumque chorus, quem vocat exedra
Consecratque diem Tibi
Nam virtus gemino pectoris ambitu
Non claudi apta manet, fulgurat ictibus.
Constans & graditur, promptius occupet
Cœlum vt vertice gloriæ.